

habent Hebraea et Chaldaea, idem est quod plerique, multi : nam aliquos servatos fuisse et mortem evasisse patet ex sequenti.

34. HOC AUTEM ERIT TIBI SIGNUM, — has clades posteris tuis obventuras, illas enim non vidit Heli, utpote jam mortuus; unde eorum signum et certitudinem dat ei Deus, eadem Ophni et Phinees; hanc enim ipse vivens audivit et ingemuit. Haec est quarta Heli poena; sequitur quinta :

35. ET SUSCITABO MIHI SACERDOTES FIDELIEM. — Quis hic? nonnulli putant esse Samuelem, quem putant successisse Heli, non tantum in principatu, quasi iudicem populi, sed et in Pontificatu. Ita S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* iv, et in *Psalm.* xviii, vers. 2; *Retract.* cap. LV, et *Contra Faust.* cap. xxxiii; Gregorius, Eucherius, Angelomus, hic Hieronymus ad illud I Cor. i : *Cum unatibus qui invocant nomen Domini*, ubi sive de Samuele : « Quem sacerdotem fuisse illa res probat, quia et sacerdoti successit, et hostias offerebat. De quo etiam secundum historiam dictum est : Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem. » Quin et S. Ignatius, epist. ad *Magnesianos* : « Saul, ait, privatur honori regio, non exspectans summum Sacerdotem Samuelem. »

Ratio est, quia Samuel, cap. vii, vers. 9, dicitur sacrificasse et orasse pro populo, ac Saulem in regem unxisse, ac post eum, Davidem. Haec autem sunt munia Pontificis. Favet Josephus, lib. VI, cap. ult., dicens Samuelem a Pythonissa suscitatum esse cum sacerdotali amictu; Nazianzenus quoque, *orat.* 40, Ephod Samuelis vocat stulam sacerdotalem : sic et Theodoretus et Procopius hic.

Verum contrarium videtur longe verius, scilicet Samuelem non fuisse Pontificem. Ratio est, quia Pontificatus a Deo additus erat Aaroni ejusque posteris, ex quibus non erat Samuel.

Rursum, Heli moriente Samuel erat juvenis, ac enis post Heli iudicare cepit Israel, ut ipse dicit cap. xii, vers. 2. At Pontifex nemo creari poterat antequam esset vir triginta annorum, ut docet S. Hieronymus in cap. i *Esch.* Sed haec ratio non evincit, uti ostendam cap. xii, 2.

Tertio, quia tempore Samuelis Pontifex erat Achias abnepos Heli, ut patet cap. xiv, 3.

Denique in serie Pontificum, quam texit Josephus et alii, non ponitur Samuel, nec Scriptura usquam eum vocat sacerdotem, imo David *Psalm.* xviii : « Moses, inquit, et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus. » Ita censet Beda, Rabanus, Abulensis hic in cap. vii, *Quest.* xxx; Hugo, Lyranus, Cajetanus, Dionysius, Genebrardus, ac S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.* : « Samuel, ait, Levita non Sacerdos, non Pontifex fuit. » Et S. Augustinus fuse in *Quest. veteris et novi Testamenti*, cap. xlvi (vel quisquis est eorum auctor, non enim videtur esse S. Augustinus). Et S. Thomas in cap. vii ad *Hebr.* lect. 3, Serarius, Mendoza, Sanchez, Tornielus et alii.

Ad argumentum adverse sententiae respondeo, Samuelem, etsi ex genere et prosapia duntaxat esset Levita, subinde tamen ex dispensatione Dei sacrificasse, ut cum Saulem et Davidem unxit in reges, ideoque sacerdotem a multis (ut a Chrysostomo, Ambrosio, Augustino, Bernardo, Damiano et aliis, quos fuse citat hic Mendoza, p. 363) vocari; ac eos unxisse in reges, non ut Pontificem, sed ut Prophetam, regis ac Elias (qui non erat Pontifex) propheta Azaelem unxit in regem Syria, III *Reg.* xix, ac Eliseus per unum e suis unxit Jehu in regem Israel, IV *Reg.* ix. Porro Ephod Samuelis lineum et Leviticum erat, non polymitum et sacerdotale. Unde S. Hieronymus in *Psalm.* xviii, 6; « Samuel, inquit, Levitici ordinis regulam tenet : quod Ephod illud lineam atque candidum figuravit, ostendens candidum officii posse, qui per penitentiam nomen Domini invocans, nigredinem peccati diluerit. »

Cum ergo hic dicitur : « Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, » intelligitur Sadoe, quem Salomon loco Abiathar creavit Pontificem, qui fideliter Deo in templo, et Christo, id est Davidi et Salomoni regi a se uncto ministravit.

Allegorice significatur hic translatio sacerdotii ab Heli et Aarone ad Christum : hic enim est sacerdos fidelis Deo. Ita S. Gregorius, Theodoretus, Angelomus, Procopius et S. Augustinus, lib. XVII *Civit.* cap. iv. Videmus vero hodie Judaeos absque sacerdotio esse : « Et inter eos, inquit Augustinus, quicumque est ex Aaronico genere, cum videt sacrificium Christianorum toto orbe pollere, sibi autem honorem illum magnum esse subtractum, deficient oculi ejus, et defluit anima ejus tabe mororis; mors vero illa filiorum significavit mortem ipsius sacerdotis de filiis Aaron, inquit Augustinus, et sacerdos ille fidelis vers. 33, maxime et principaliter est Christus Dominus, » inquit Procopius, Theodoretus et alii.

Porro Christus non tantum est Sacerdos et Pontifex, sed et Christianos quoslibet efficit sacerdos et reges mysticos, juxta illud *Apocal.* i, 11 : « Fecl nos regnum et sacerdotes. » Unde S. Leo, serm. 3 in die *anniversario assumptionis suae ad Pontificatum* : « Omnes, inquit, in Christo regnantes crucis signum efficit reges; Sancti vero Spiritus unctio consecrat sacerdotes. » Et mox ostendit qua in re hoc regnum et sacerdotium consistat : « Quid enim, inquit, tam regium quam subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? Et quid tam sacerdotale, quam vivere Domino conscientiam puram, et immaculatam pietatis hostias de altari cordis offerre? »

ET EDIFICABO HI DOMUM (familiam, posteritatem) FIDELIEM, — quae scilicet fideliter mihi ministrans in Pontificatu, fideliter, id est firmiter et constanter in eo perduret. Hoc de Samuele dicit nequit : ejus enim filii reges ac Heli fuere degeneres et improbi, ut patet cap. vii, vers. 3 : « Declinaverunt, ait, post avaritiam, acceperuntque munera, et

perverlerunt iudicium. » Posteri vero Sadoe fideles firmique perstiterunt in Pontificatu usque ad captivitatem Babylonicam et eversum templum, imo et post eam, ut patet *Ezechiel.* cap. xl, 46, et ex serie Pontificum, quam texit Josephus, lib. X, cap. xi. Et ex eo Sigonius de *Republ. Hebraeorum*, lib. V, cap. i.

36. FURTIVUM EST AUTEM UT QUICUMQUE MANSERIT IN DOMO TUA, VENIAT UT ORETER PRO EO. — Minores enim Sacerdotes ac Levites, cum quid peccassent, ex lege, debebant, ut laici, offerre victimas pro peccato, et Pontifex debebat orare pro illis.

ET OFFEREBAT NUMMUM ARGENTUM, ET TORTAM PANIS. — Sacerdoti sive Pontifici ut gratiam ejus caplet, hoc sine ut ab eo ad partem sacerdotalem admittatur. Ex Hebraeo verti potest clarius : *Veniet ad oronem pro nummo argenti et torta panis, orando scilicet ut detur sibi quasi pauperi et famelico nummus exiguus, et fragmen panis, quod latranem ventrem satiet.* Ita Cajetanus et Vata-

blus. Unde noster Serarius pro *offerat*, vel, ut alii legunt *offerat*, legendum putat, *aufert*, id est accipiat *munum et tortam panis*; verum Romani habent, *offerat*.

PERMITTE ME, OBSECO, AD UNAM PARTEM SACERDOTALEM (tuum victimae a me oblatae, tum quarumlibet aliarum victimarum a populo sacerdotibus oblatarum), UT COMEDAM DE CELLAM PANIS. — Magna fuit haec abjectio, vilitas et mendicantia posterorum Heli.

Allegorice, *bucella panis* significat sacrificium Eucharistiae, quod e pane fit. Ita S. Gregorius, Eucherius, Theodoretus, Procopius. Audi S. Augustinum, lib. XVII *De Civitate Dei* cap. v : « Quod ergo addidit manducare panem, etiam ipsum sacrificii genus eleganter expressit, de quo dicit sacerdos ipse : Panis quem ego dedero, caro mea est pro saeculi vita : ipsum est sacrificium non secundum ordinem Melchisedech; qui legit intelligat. »

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus rursum per Samuelem praedixit exitum Heli; idque Samuel Heli, ab eodem adjuratus, vers. 16, candido edicit.

1. Puer autem Samuel ministrabat Domino corum Heli, et sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta. 2. Factum est ergo in die quadam, Heli jacebat in loco suo, et oculi ejus caligaverant, nec poterat videre; 3. lucerna Dei antequam exstingeretur, Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei. 4. Et vocavit Dominus Samuel. Qui respondens ait : Ecce ego. 5. Et cucurrit ad Heli, et dixit : Ecce ego, vocasti enim me. Qui dixit : Non vocavi; revertere, et dormi. Et abiit, et dormivit. 6. Et adjecit Dominus rursum vocare Samuelem. Consurgensque Samuel, abiit ad Heli, et dixit : Ecce ego, quia vocasti me. Qui respondit : Non vocavi te, filii mi; revertere, et dormi. 7. Porro Samuel nequum sciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei sermo Domini. 8. Et adjecit Dominus, et vocavit adhuc Samuelem tertio. Qui consurgens abiit ad Heli, 9. et ait : Ecce ego, quia vocasti me. Intellexit ergo Heli, quia Dominus vocaret puerum; et ait ad Samuelem : Vade, et dormi, et sic deinceps vocaverit te, dices : Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Samuel, et dormivit in loco suo. 10. Et venit Dominus, et stetit, et vocavit, sicut vocaverat secundo : Samuel, Samuel. Et ait Samuel : Loquere, Domine, quia audit servus tuus. 11. Et dixit Dominus ad Samuelem : Ecce ego facio verbum in Israel; quod quicumque audierit, tinnit ambae aures ejus. 12. In die illa suscitabo adversum Heli omnia quae locutus sum super domum ejus : incipiam, et complebo. 13. Praedixi enim ei quod iudicaturus essem domum ejus in aeternum, propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuit eos. 14. Idcirco juravi domui Heli, quod non expiaret iniquitas domus ejus in aeternum. 15. Dormivit autem Samuel usque mane, aperuitque ostia domus Domini. Et Samuel timebat indicare visionem Heli. 16. Vocavit ergo Heli Samuelem, et dixit : Samuel filii mi? Qui respondens, ait : Praesto sum. 17. Et interrogavit eum : Quis est sermo quem locutus est Dominus ad te? oro te ne celave-

ris me. Hæc ratiati tibi Deus, et hæc addat, si absconderis a me sermonem ex omnibus verbis quæ dicta sunt tibi. 18. Indicavit itaque ei Samuel universos sermones, et non abscondit ab eo. Et ille respondit: Dominus est; quod bonum est in oculis suis faciat. 19. Crevit autem Samuel, et Dominus erat cum eo, et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram. 20. Et cognovit universus Israel, a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini. 21. Et addidit Dominus, ut appareret in Silo, quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, juxta verbum Domini. Et evenit sermo Samuelis universo Israeli.

Vers. 1. 4. PUER AUTEM SAMUEL. — Josephus, libro V, cap. XI, ait eum exlesse annum duodecimum. Perperam Rabbini in Seder Olam aiunt eum fuisse annorum 40; Josephum sequuntur Suidas, Zonaras, Cedrenus, Abulensis, Tornielius, Serarius, Sallianus, Mendoza et alii. Porro quot annorum tunc fuerit Heli incertum est. S. Ignatius, epist. ad Magnesian., ait eum fuisse 90 annorum; Theodorotus, 86; Sorarius, 98, Sallianus, 72; ita ut deinde adhuc vixerit 26 annos. Mortuus est enim cum esset 98 annorum, quando Samuel ei successit, agens annum 59; verum nil certi de Heli anno hic statui potest.

CORAM HELI, — id est instruente et dirigente eum Heli, cui Samuel ad nutum obediebat. Chaldaeus, *vovente Heli*.

ET SERMO DOMINI ERAT PRETIOSUS, — id est rarus; quæ enim rara, sunt cara et pretiosa, quasi dicat: Rari tunc erant prophetae per quos Deus loquebatur, idque ob scelera filiorum Heli sacerdotum, æque ac laicorum. Qualis enim est sacerdos, talis est: populus. Sic Prov. xxv, 17, ubi dicitur: «Substratæ pedem tuum;» Hebraice est *pretiosus* (Septuaginta, *rarum*) *fac pedem tuum in domo amici tui*.

NON ERAT VISIO (prophetia) MANIFESTA. — Hebraice נִפְתָּח *nipherts*, id est rupta, id est, late diffusa vel sparsa: Vatablus, *vulgaris*; Chaldaeus, *que publice innotesceret*; Septuaginta, *distinctum*, id est distincta et clara. Hæc dicuntur ad laudem Samuelis, quod ipse in mediis scelerum et ignorantie tenebris propheta emouerit, quasi novus quidam sol Israelis.

Vers. 2. 2. HELI JACERAT IN LOCO SUO, — hoc est dormiebat in illa atrii parte, quæ vicina erat tabernaculo: cum in remotiore atrii parte dormiret Samuel caeterique Levitæ; ita Chaldaeus.

Vers. 3. 3. LUCERNA DEI ANTEQUAM EXTINGUERETUR, SAMUEL DORMIEBAT. — Ita lege cum Romana, Hebræa, Chaldaea, Septuaginta, Aquila et Symmacho. Est periphrasis noctis. Lucernæ enim tabernaculi nocte ardebat, mane exstinguebantur. Sensus est quasi dicat: Cum adhuc lucernæ tabernaculi arderent, id est cum adhuc esset nox, vel certe aurora incipiens et obscura, ideoque Samuel adhuc dormiret, apparuit ei Dominus. Ita S. Hieronymus. Porro Septuaginta vertunt, *antequam lucerna Dei esset instructa*, quod aliqui exponunt quasi dicat: Antequam esset media nox, tunc

enim lucernæ concinnabantur, ut reliqua nocte dimidia arderent. Planius exponas de noctis fine, quasi dicat: Antequam disceret, summo mane, ante solis ortum, quo lucernæ noctu consumptæ oleo affuso instaurari solent, apparuit Samueli Dominus. Hinc disce mane et in aurora, cum primum evigilas, orare ut Dei vocem et instinctus haurias et audias. Nam summo mane apparuit hic Deus Samueli, non vero vespere, ut opinantur Theodoretus et Procopius.

Porro Habanus, Angelomus, Eucherius, Abulensis et Cajetanus aliter legunt et dispungunt, nimirum sic: «Heli videre non poterat lucernam Dei antequam exstingueretur,» q. d. Heli cæciliens videre non poterat in aurora, cum adhuc lucernæ arderent; sed videre poterat clara die cum lucernæ essent extinctæ: verum legendum est cum Romana, ut paulo ante dixi.

5. ET OCCURRIT AD HELI, ET DIXIT: ECCE EGO, VOCASTI ENIM ME. — Hinc videtur quod Samuel, solitus mane a somno excitari ab Heli, putaverit se vocatum ab Heli, non a Deo, utpote cuius vocem huc usque non audierat. Videtur autem hæc Dei, sive angeli vox fuisse similis voci Heli, ideoque ea audita ad Heli occurrit Samuel. Ita S. Gregorius, Cajetanus et Mendoza. Vide hic prophetæ Samuelis obedientiam, ob quam meruit a Deo eligi in prophetam et principem populi. Rursum disce hic Deum loquentem Samueli remittere eum ad Heli, tum et Heli oraculum hoc Dei diligentius considerat et crederet; tum ut doceret oracula Dei examinanda et dirigenda esse a superioribus, ut servetur debitus ordo et subditorum subordinatio, ac ne locus sit illusioni diabolice. Ita Cassianus, *Collat. II*, cap. XIV, «Puerum Samuellem, inquit, iudicio prorelictum suo, nollet per senectus divini colloqui disciplina Dominus erudire; sed recurrere semel et iterum peteret ad senem, omniaque quem ad summum vocabat alloquium, etiam illius qui offenderat Deum, dummodo senioris doctrina vellet institui; et quam sua vocatione dignissimum iudicaret senioris mallet institutione formare; ut scilicet et illius, qui ad divinum ministerium vocabatur, probaretur humilitas et junioribus forma subjectionis hujus proponere. — Porro S. Gregorius promptum et constantem Samuelis obedientiam dilaudantem. «Puer, inquit, humiliter homini subjectus atque obedientia ardua

arce sublimatus, domo vocatus accessit, jussus rediit; quid aliud nobis præbet nisi altissime formam obedientiam? Vera namque obedientia nec preceptorum intentionem discutit, nec præcepta discernit; nescit enim judicare quisquis perfecte didicerit obedire.» Et paulo post: «Quis, inquit, nostrum sese a murmuratione compeccet? quis ab ira temperet si vocatum bis aut ter audiret, et tamen ex vocantis responso periperet, quia, vocatus minime fuisset, nec repulsus offenderet, quia vocantis aut repellentis animum videre nolit, qui in hoc solo gaudere noverat, quod obedivit.»

Vers. 7. 7. PORRO SAMUEL NECDUM SCIEBAT DOMINUM, — id est, necdum expertus erat Dei vocem, necdum assuetus erat audire Dominum loquentem, ut ejus vocem a voce Heli distingueret, Deumque ex ejus voce agnosceret. Ita S. Hieronymus in *Quest.*, vel quisquis est auctor: puto enim non esse S. Hieronymum, sed passim putatur et citatur nomine S. Hieronymi, ideoque et ego sic cito. Loquendum enim ut multi, sapiendum ut pauci.

9. INTELEXIT ERGO HELI (vel in actu Dei, ut vult Sallianus, vel ratiocinatione humana; quia scilicet nemo alius eo loci erat, qui Samuellem vocaret; et quia Samuel Deo erat gratissimus ob suam virtutem et pietatem), QUIA DOMINUS VOCARET PUERUM.

LOQUERE, DOMINE, QUIA AUDIT SERVUS TUUS, — ut jussa tua excipiat et exsequatur. Hoc cullibet fidei dicendum, cum Deum quid interius menti suggerentem vel inspirantem audit. Hinc ait S. Bernardus, *serm. De Septem spirit.* sub finem: «Felix, ait, et beata anima, quæ venas divini susurri percipit in silentio, frequenter iterans illud Samuelis: Loquere, Domine, quia audit servus tuus.» Audi S. Ephrem, lib. *De Virtute* cap. II, tom. II, fol. 42: «Samuel per obedientiam quam Heli sacerdoti præstitit dignus est qui vocem Dei audiret.» Et *Parametic.* 43, fol. 413: «Exemplum humilitatis in Samuele propheta habetis; non enim exaltatum est cor ejus adversus Heli sacerdotem, quamvis etiam a Deo audisset de viro isto.» Et *Parametic.* 21: «Vide, frater, ne negligas te sobriam ac vigilantem præbere in omnibus; nosse audistis quod sæpius vocatus propheta Samuel, neque semel cunctatus sit surgere, quantumvis adhuc puer esset.»

Audi et Origenem, *hom. I in Cant.*: «Beate sunt ille animas, quæ dorsum suum curverunt, ut suscipiant sessorem Verbum Dei super se, et freno ejus patiuntur, ut quicumque ipse voluerit fluctet, et agat habentis preceptorum suorum; quia jam non propria voluntate incedunt, sed ad omnia ducuntur et reducuntur voluntate sessoris.»

Vers. 10. 10. ET VENTUS DOMINUS, ET STETIT. — Hinc patet Deum, id est angelum Dei vicarium hinc non tantum menti Samuelis hæc inspirasse, sed in corpore assumpto, corporali voce illi esse locutum. Unde Chaldaeus hic vertit, et *revelata est ei gloria*

Domini, quasi dicat: Samuel vidit Angelum, Dei legatum in corpore splendido et glorioso, sed confusus; ita ut splendorem videret, sed corpus Angeli distincte non videret; vocem tamen ejus distincte auribus audiret. Unde cognovit tandem se non ab Heli, sed a Deo vocari. Ita S. Gregorius, Abulensis, Dionysius, Cajetanus et alii.

Porro quod Samuellem puerum ob puritatem et sanctitatem alloquitur Deus neglecto seniore Heli, ostendit «quanto canitie melior sit juvenis, quæ virtute ornatur,» ait Theodoretus, *Quest. III*. Nimirum «cum simplicibus (Hebraice *cum rectis*) sermocinatio ejus,» *Proverb.* I, 3.

SAMUEL, SAMUEL. — Audi S. Gregorium: «Nomen iteratur, cum in magnam familiaritatem interne majestatis, mens videns excipitur et ferventibus desideris ad amorem se vocantis elevatur; ut præter id quod audit, nihil libet, atque in lætitia auditus sui immorari perpetuo concupiscat.» Talis fuit illa ejusdem Dei vocatio: «Saule, Saule,» *Actor.* cap. IX, vers. 4, et illa: «Moyses, Moyses,» *Exod.* III, 4, et illa: «Abraham, Abraham,» *Genes.* XXII, 1, de quo D. Chrysostomus, *hom. 47 in Gen.*: «Quid, ait, vult verbi duplicatio? magnæ benevolentis erga Patriarcham argumentum est, et monstrat ei, vocatione ipsa, quod magnum aliquod ostensurus esset. Ut igitur attentiores redderet, vocationem geminabat.»

11. FACIO VERBUM (id est, rem et supplicium Heli comminatum, adeo dirum et horrendum) QUOD QUICUNQUE AUDIERIT, TINIUNT AMBÆ AGRES EJUS, — scilicet ut totus percellatur et exhorrescat; puta arce captivem, ait Lyranus, et filiorum eadem, ait Abulensis, et cætera recensita cap. II. Ita Angelomus et S. Hieronymus in *Quest.* Metaphora est, ducta ab eo qui repente audit cymbalum finniens, vel hostium bombardæ magnæ, vel tonitruu ingentis, cujus vehemens sonus percellit, et tintinnu diu durantem in auribus audientium excitat.

13. PREDIXI ENIM EI QUOD JUDICATURUS (id est, Verst. 12. justè puniendus) ESSEM DOMEN (familiam et posteritatem) EJUS, EO QUOD NOVERAT INDIGNE AGERE FILIOS SUOS, ET NON CORRIPUIT EOS. — Corripuit eos Heli, sed nimis lenitate paterna, non auctoritate et severitate Pontificia, ait Angelomus. Ideo morte puniatur: luit ergo filiorum scelus sua necesse. Sic Deus, populo fornicante cum filiabus Moab, jussit principes suspendi, *Num.* XXV. Causam dat B. Petrus Damianus, lib. IV, *epist.* 43. «Quid est, ait, quod populus in luxurie voraginem labitur, et in eorum prepositos vindicatur? Subditi delinquant, at Principes in lætibus suspendantur? scilicet alius est qui peccat: alius ille qui vulpat. Cur hoc, nisi quia culpa subditorum in prepositorum redundat opprobrium? et quod de ovibus erratur, negligentia Pastoris adscribitur, et vide quam formidolosa sit conditio Præsidentium, ut non modo pro suis, sed etiam subditorum puniantur offensis.»

Vers. 14. 14. INCHICO JURAVI DOMUI HELI, QUOD NON EXPURT INQUITAS DOMUS EJUS VICTIMIS ET MURIBUS USQUE IN AETERNUM. — Hinc multi putant Heli esse damnatum, ut dicam cap. IV. Verum id locus hic non evincit. Agit enim de domo Heli, non de ipso Heli, quasi dicat: Supplicia quae domui Heli ob ejus peccatum praedixi et intentavi cap. II, nullis victimis revocabuntur, sed certa et fixa me decernente persiabunt; certoque posteris ejus obvenerit: e quibus tamen multi vixi fieri et salvati videntur, ut Achiss, A himaelech, Abiathar.

Vers. 17. 17. HEC FACIAT. — Est formula adjurandi hebraice, quasi dicat: Punit te Deus, vel male tibi cedat, si haec me celaveris.

Vers. 18. 18. DOMINUS EST, QUOD BONUM EST IN OCULIS SUI FACIAT. — Vide hic responsum Heli dignum Pontifice penitente, aequanimi, et resignato ad omnem Dei voluntatem, et castigationem tam horrendam, ob quod Heli salvatus videtur. Ita Theodoretus, Procopius, Lyranus, Abulensis, Dionysius, Cajetanus, Serarius, Mendoza hic, S. Chrysostomus, lib. III *Contra Vituperium vitae monasticae*.

Minus apte ergo S. Ephrem in *Apologia de Heli*, hoc responsum Heli tribuit ejus pervicaciae, quasi dicat: Dominus quod bonum est in oculis suis faciat; ego vero filiis meis molestiam inferre non possum. Et S. Gregorius: « Ista, inquit, responsio humilitas, si subtiliter inspicatur, vera humilitas non est; vere esset humilis, si se ad emendationem culpe, pro qua arguebatur, obtulisset. Dum ergo dicit: Dominus est; quod bonum est in oculis suis faciat; potius elegit minarum Dei causas incurere, quam de perpetris iniquitatis filios condemnare. » Sic et Rupertus.

Moraliter, hinc discamus adversitates et afflictiones quaslibet a Deo immissas, vel permissas ad nostrum bonum aequanimitate tolerare, ac Deo flagellanti dorsum humiliter subicere. Ita fecit David fugiens Absalonem et Saulem: « Justus es, inquit, Domine, et rectum judicium tuum, » *Psal. CXVIII*, vers. 137. Ubi Ambrosius citat simile Jeremie exemplum, qui, cum in luti voragine turpi necandus illuvie mergeretur, clamabat: « Justus es, Domine, » esto haec verba jam in Jeremia, cap. XXXVIII et XLV, non reperiantur. Idem tamen *Thren. CXVIII*: « Justus, inquit, est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi. » Sic tres pueri in fornace Babylonica, humili exultatione canebant: « Justus es, Domine, in omnibus quae fecisti nobis, » *Daniel. III*, 27, ideoque ab Angelo in igne servati sunt illi. Idem fecit Daniel in lacu leonum, cap. vi, 16, et cap. XIV, 30. Ac Jonas in ventre ceti, cap. II, 10: « Ego, inquit, in voce laudis immolabo tibi. » Et Job cap. I, vers 21: « Dominus, inquit, dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placeat, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. »

Sic Mauritius Imperator, qui S. Gregorium ve-

nerat, cum a Deo puniretur morte fam suae, et filiorum suorum omnium, quos in sua presentia cernabat a Phoca emulo et successore imperii jugulari penitens clamabat: « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum, » uti habent ejus Acta, et ex eis Baronius.

Causam dat S. Ambrosius, loco citato, « quia cum nostra amittimus, Deo illa reddimus, non amittimus: justus ergo Dominus in periculis, justus in damnis, justus in ultionibus est, non solum quia unusquisque justae poenae suae culpae luit, verum etiam quia dum unus punitur, plurimi corriguntur. »

Et Tertullianus, lib. *De Fuga in persequitorem*, cap. X: « Ubicumque, inquit, fuero, in manu ejus sum: faciat quod vult, non discedo, et si poenae me volet, ipse me perdat, d m me ego servo illi. »

19. CREVIT AUTEM SAMUEL. — Septuaginta *Septuaginta*, id est, *magnificatus est*, tum etate, tum potius sapientia, virtute, fama et gloria apud Deum et homines. Nam ut ait S. Gregorius: « Crescit, ut in virum perfectum mentis etate proficit. » Deinde subdit: « Nonnulli sunt qui, dum virtutibus crescunt, elatione corrumpunt. Hi nimirum crescere videntur; sed tamen cum eis Dominus non est: quia a se eum, alta sentiendo de se ejicunt, quem in profectu virtutum positi per humilitatem secum habere poterunt. » Mox invenitur in eos qui ex dignitate evanescent: « Plerique, inquit, in humiliori ordine Religiosi sunt; sed cum subito ad culmen sanctitatis pervenerint, prima opera cum humilitate derelinquunt. Samuel igitur profecit, et proficiens Dominum secum habuit. Ut profecto doctorum praedicatorum morem preferret, qui cum dona et dignitate quibus praesint, aliis assequuntur, de semetipsis placere Deo non negligunt. »

ET NON CRECIDIT EX OMNIBUS VERBIS EJUS IN TERRAM. — *Primo*, quasi dicat: Nihil a Samuele dictum fuit irritum, sed omnia ab eo dicta et praedicta, reipsa faere impleta. Est metaphora a casu et ruina domorum, vel rerum pretiosarum liquidarum, in qua multa difflunt, dissipantur, franguntur, perduntur, ut colligi nequeant. Ita Eucherius, Abulensis, Lyranus, Dionysius, Cajetanus, Vatablus et alii.

Secundo, quasi dicat: Sermo Samuelis non erat contemptibilis, sed apud omnes in magno honore et prelio; quae enim contemnimus, in terram abjicimus: « In terram, ait S. Gregorius, verbum praedicatoris cadit cum reproba ejus conversatio vilescit. »

Symbolice, Hugo quasi dicat: Samuel non loquebatur de terra, terrena; sed de caelo, coelestia; quia ipse erat coelestis, et velut angelus inter homines. Unde S. Dionysius, *Coelestis Hierarchie*, capite II: « Tu autem, inquit, o fili, divina loquendo divinus efficere. » Nam ut ait S. Bernardus, *De Inter. domo*, capite XLIII: « Vanus sermo

vana conscientiae est index: » sicut enim Hispanice loquitur; Germanus, qui Polonice; sic coelestis est, qui coelestia promittit; terrestri, qui terrestria. Nam, ut ait Christus, *Math. XV*: « Ex abundantia cordis os loquitur. »

ET COGNOVIT UNIVERSUS ISRAEL A DAN USQUE BERSABEE, — hoc est per totam Judaeam; illius enim limes et terminus ad Aquilonem est Dan sive Caesarea Philippi, ad Austrum vero limes est, Bersabee. « Cognovit, » inquam, Samuelem esse « fidelem, » id est, veracem prophetam, « non in ambitione vanitatis, sed in spiritu Dei, et sermonis Domini veritate judicantem, » ait Rupertus; non enim hominum plausum spectabat, nec eorum nimis metuebat, quia in uno Deo solidatus ei soli placere satagebat. Quare idipsum quod ore docebat, opere monstrabat. Nam, ut ait S. Gregorius, hom. II in *Ezech.*: « Cui aliena cura committitur speculator vocatur, ut in mentis altitudine sedeat, atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat. Non est enim speculator, qui in imo est: speculator quippe in alto debet stare per vilam, ut possit prodesset per providentiam. » « Nil enim, inquit Div. Chrysostomus, homil. I in *Acta*, Doctore frigidius, qui verbis duntaxat philosophatur. Neque enim hoc Doctoris est, sed histrionis et hypocrite; ideoque Apostoli prius vita exemplis docebant quam verbis. Quin potius nec verbis erat opus, cum clamarent opera. »

21. ET ADDIDIT DOMINUS (UT APPARERET IN SILO) SEPTUAGINTA ADDUNT: ET, SOLICET SAMUELI, QUASI DICAT: DEUS ITERUM APPARUIT SAMUELI IN SILO, — quasi dicat: Quia Dominus ceperat apparere Samueli in Silo; hinc eidem ibidem appa-

tere perrexit ob sanctitatem tum Samuelis, tum arcae foederis quae erat in Silo. Deus enim est constans, ideoque constanter sua coepa promovet et prosequitur: quare unius beneficii a Deo collatio, est ratio et stimulus alterius conferendi. Secus fit apud homines, qui cum sint arcte mentis, cum unum beneficium dederint, alterum negant. Quid hic Samueli Deus dixerit Scriptura laet; verisimile est iterasse et confirmasse prius oraculum de supplicio Heli, deque Israelis strage, ac addidisse salutem eidem per Samuelem, post mortem Heli, offerendam; solet enim Deus tristibus laeta subungere, et ultimum hoc proprie tangebatur Samuelem.

Tropologicae Philo, lib. *De Migratione Abraham*: « Fons, ait, unde bona promanant est, cum benigno Deo familiaritas; ideo quasi obsignans sua beneficia dicit: Ero tecum. Quid igitur boni defuerit presente omnipotente Deo? Tunc proveniunt acervatim cuncta commoda. »

Et S. Chrysostomus, homilia 46 in *Genesis*: « Quando, ait, amicum et benevolum habemus Deum, etiamsi in deserto fuerimus, multo securiores vivemus quam si qui in civitatibus versantur, divina gratia nobis omnia suppeditante. »

Idem Chrysostomus, hom. 26 in *epist. ad Hebr.*: « Si, inquit, semper mente videmus Deum, si semper in recordationem ejus convertimus mentem nostram, omnia nobis facilia apparebunt, omnia portabilia; omnia sustinebimus, omnibus superiores efficiemur. » Et paulo post a minori idipsum confirmans: « Si quisquam, inquit, recordatus amici erigit animam suam delicias ex memoria illius, qui in mente habuerit eum qui nos diligere vere dignatus est, quando poterit aliquam sentire tristitiam, aut terribile aliquid, aut periculosum timere. »

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Narrat clades a Samuele praedictas reipsa evenisse tam Heli et filiis, quam toti Israeli, scilicet a Philistinis caesa fuisse 34 milia, captam arcam, Ophni et Phinees trucidatos: unde Heli, haec audiens, e sella corruens exprobravit; et uzor Phinees partu ea dolore accelerato peperit Ichabod, dicens: Translata est gloria de Israel.

1. Et factum est in diebus illis, convenerunt Philistini in pugnam; et egressus est Israel obviam Philistiim in praelium, et castrametatus est juxta lapidem adjutorii. Porro Philistiim venerunt in Aphec, 2. et instruxerunt aciem contra Israel. Initio autem certamine, terga vertit Israel Philistiis; et caesa sunt in illo certamine passim per agros, quasi quatuor millia virorum. 3. Et reversus est populus ad castra; dixeruntque majores natu de Israel: Quare percussit nos Dominus hodie coram Philistiim? Afferamus ad nos de Silo arcam foederis Domini, et veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum. 4. Misit ergo populus in Silo, et tulerunt inde arcam foederis Domini exercituum sedentis super Che-

arabum: erantque duo filii Heli cum arca fœderis Dei, Ophni et Phinees. 5. Cumque venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israel clamore grandi, et personit terra. 6. Et audierunt Philistiim vocem clamoris, dixeruntque: Quænam est hæc vox clamoris magni in castris Hebræorum? Et cogoverunt quod arca Domini venisset in castra. 7. Timueruntque Philistiim, dicentes: Venit Deus in castra. Et ingemuerunt dicentes: S. Væ nobis! non enim fuit tanta exultatio heri et nudistertius; væ nobis! Quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum? Hi sunt dii qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto. 9. Confortamini, et estote viri, Philistiim: ne serviatis Hebræis sicut et illi servierunt vobis; confortamini, et bellate. 10. Pugnaverunt ergo Philistiim, et cæsus est Israel, et fugit unusquisque in tabernaculum suum: et facta est plaga magna nimis; et ceciderunt de Israel triginta millia peditum, 11. et arca Dei capta est: duo quoque filii Heli mortui sunt, Ophni et Phinees. 12. Currens autem vir de Benjamin ex acie, venit in Silo in die illa, scissa veste, et conspersus pulvere caput. 13. Cumque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor ejus pavens pro arca Dei. Vir autem ille, postquam ingressus est, nuntiavit urbi; et ululavit omnis civitas. 14. Et audivit Heli sonitum clamoris, dixitque: Quis est hic sonitus tumultus hujus? At ille festinavit, et venit, et nuntiavit Heli. 15. Heli autem erat nonaginta et octo annorum, et oculi ejus caligaverant, et videre non poterat. 16. Et dixit ad Heli: Ego sum qui veni de prælio, et ego qui de acie fugi hodie. Cui ille ait: Quid actum est, fili mi? 17. Respondens autem ille, qui nuntiavit: Fugit, inquit, Israel coram Philistiim, et ruina magna facta est in populo; insuper et duo filii tui mortui sunt, Ophni et Phinees; et arca Dei capta est. 18. Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum juxta ostium, et fractis cervicibus mortuus est. Senex enim erat vir et grandævus; et ipse judicavit Israel quadraginta annis. 19. Nurus autem ejus, uxor Phinees, prægnans erat, vicinaque partui; et auditio nuntio quod capta esset arca Dei, et mortuus esset socer suus, et vir suus, incurvavit se et peperit: irruerant enim in eam dolores subiti. 20. In ipso autem momento mortis ejus, dixerunt ei quæ stabant circa eam: Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque animadvertit. 21. Et vocavit puerum, Ichabod, dicens: Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei, et pro socio suo, et pro viro suo. 22. Et ait: Translata est gloria ab Israel, eo quod capta esset arca Dei.

Tera. 1. ET FACTUM EST IN DIEBUS ILLIS. — Ecce hic expletur prophetia Samuelis ac mizer Dei, et clades ab eo intantate Heli et filiis, totique Israeli. Quantum temporis interessit a prophetia Samuelis, ad hæc ejus expletionem, incertum est. Serarius et Abulensis putant eodem anno expletam; editam esse enim anno 98, et ultimo vite Heli, quo ipse audita arca captura, expirans corruit. Verus est aliquot annos interessisse. Nam prædixit cladem hanc Sammel, cum esset puer, ut dictum est cap. iii, 1; clades autem hæc contigit, cum ipse esset vir, vel certe juvenis; nam mortuo Heli illico successit Samuel in præfecturam populi; erat ergo grandior et mature ætatis. Saliarius, ut dixi, putat interessisse annos 26 ut Sammel factus sit iudex post Heli anno ætatis 39. Mendoza censet interessisse annos 48 vel 28; alii plures, alii pauciores.

ET CASTRIBUS EST JUXTA LAPIDEM ADJUTORII. — Erat locus ista postea appellatus a Samuele, quod in eo Hebræi in prælio Dei adiutorium sensit, et

et victoriam obtinissent, ut patet cap. vii, vers. 12. Porro « castra dicta sunt quasi casta, eo quod ibi castraretur libido, quia nullæ eis mulieres intererant, » ait Isidorus, lib. IX, Origines, cap. ii. Notent hoc duces et milites; sic enim erunt fortiores, et victoria potentior.

3. APPERAMUS AD NOS DE SILO ARCAM FœDERIS DOMINI. — Dei enim super arcam residentis, et ex propitiatorio responsa dantis presentium et operum crebro experti erant Hebræi, ut in transitu Jordanis, in expugnatione Jerichuntis, etc., multo majorem fiduciam habent Christiani in sacramento Eucharistie et reliquis Sanctorum, quas proinde in periculo belli, famis, pestis, cum Litantis in supplicationibus solemnium pompa circumferunt, ac sæpe miram exinde operum experiantur. Vide Abulensem hic, *Quæst. V. Audi S. Athanasium, de interpretatione Psalm. ad Marcellinum*: « Si bellum, ait, populo ingruerit, arca, in qua erant tabule legis, ante omnes precedebat, et hoc sufficiebat illis pro quavis acie in subsidium; nisi in bajulis

arce, aut in populo aliquod scelus, aut hypocrisis hæretet. Fide siquidem et sana affectione opus est, ut lex precibus nostris cooperetur. »

7. VENIT DEUS IN CASTRA. — quia arca erat quasi colium Dei. Adde Philisteos, idolorum et simularum adoratione et cultu assuetos, putasse arcam esse Deum, sive idolum Hebræorum; vel certe sapientiores ex eis existimasse Dei virtutem, ac divinum quid arce esse inclusum; tale enim quid opinabantur de suis idolis. Ita Abulensis, præsertim quia videbant Deum per arcam tam mira operari. Unde, cap. vi, vers. 19, Deus percussit quinquaginta millia plebis, eo quod vidissent arcam.

Allegorice, arca fœderis est humanitas Christi, præsertim in Eucharistia, ob plures utrinque analogias, quas recenset S. Bonaventura, serm. 2 in *Dominica IV Adventus*: « Arca, inquit, Dei velo involvitur, *Numer. cap. iv, vers. 5*; in velo ergo arca, in arca urna, in urna manna fuit. Per velum species Sacramentales, per arcam corpus Christi, per urnam anima, per manna deitas significatur. Hanc arcam timent Philistiini, id est demones, imo etiam guttam sanguinis Christi timent. » Et citat D. Chrysostomum, qui ait: « Ubique viderint sanguinem, fugiunt quidem demones, accurrunt autem Angeli. »

8. HI SUNT DII QUI PERCUSSE RUNT ÆGYPTUM OMNI PLAGA IN DESERTO. — id est mari Rubro, quod vicinum est deserto Arabie, ait Vatablus; nam in mari hoc Deus mersit Pharaonem cum totis Ægyptiorum castris.

Serarius et alii subaudiunt copulam et. Unde Septuaginta habent, et in deserto. Et Chaldeus, percussit Ægyptios omni percussione, et populo suo fecit multa miracula in deserto.

ET CECIDERUNT DE ISRAEL TRIGINTA MILLIA PEDITUM. — Hebræi enim pedes pugnant, vix equites, eo quod Deus, *Deuter. cap. xvii*, eis si non usum, certe copiam equorum vetulisset, ne in eis, non in Deo spem victorie reponerent. Ex hæc communi tot millium strage patet non solos Heli filios sacerdotes, sed et populum, Deum offendisse neglecto templi, victimarum, oblationum, alisque sceleribus. Sacerdotes enim imitatur populus. Ita Abulensis, q. d. Audi S. Hieronymum, epist. 3 ad *Heliodor.*, post clades Romani imperii recensitis, eorum causam suggerentem: « Nostris peccatis barbari fortes sunt; nostris viris, Romanas superatis exercitus. » Et paulo post: « infelices nos qui tantum displicemus Deo, ut per rabiem Barbarorum illius in nos ira deserviat. »

11. ET ARCA DEI CAPTA EST. — Cur permisit id Deus? Procopius duas dat causas: Prior est, ut doceret Hebræos recte viventes Dei providentia condideret; peccantes vero neque arce, nec ipsi Deo habere. « Legis transgressores, » ait Auctor *Metaphysicorum S. Scripturæ*, lib. II, cap. vii (exstat tom. III S. Augustini). « Nequaquam legis arca tuetur: sed que in ea lex eret, arguit, » ait Theo-

doretus. Posterior, ut Philistei arcam capientes ejus vim et potestatem agnoscerent ex plagis ab ea immissis, quas audiemus capite sequenti, itaque Deum Hebræorum timerent et colerent.

Tertiam causam adde, ut Deus castigaret impietatem filiorum Heli, qui arca et altari ad suas rapinas et scelera abutebantur.

Sic Deus permisit Terram sanctam capi a Chætreis, et postea a Romanis, ac demum a Turcis, ut ostenderet se « non propter locum gentem, sed propter gentem locum elegisse. » In *Machab.* cap. v, vers. 19. Ita Theodoretus, *Quæst. I in David.*

Tropologicæ, arca ab alienigenis capta indicabat testamentum Dei transitarum ad gentes, ait Eucherius et S. Gregorius.

Hæc clades Israelis, mors Heli et captura arca contigit anno mundi 2830, et ab exitu Hebræorum ex Ægypto anno 397. Id patet ex eo quod ab hoc exitu usque ad dedicationem templi, que contigit anno quarto Salomonis, fluxerunt anni 480, ut dicitur III *Reg.* cap. vi, vers. 1. Annus autem hic 480 conditi templi incidit in annum mundi 2933; inde ascendo et tolle tres annos regni Salomonis, 40 Davidis, et 49 Samuelis et Saulis, invenies Heli, qui immediate præcessit et judicavit populum ante Saruuelem, mortuum esse anno mundi 2830, hoc est ante templum conditum anno 83, jam cum mortuus sit Heli anno ætatis 98, ut dicitur vers. 43. Hinc sequitur eum natum esse anno mundi 2732, ab exitu ex Ægypto anno 299, ante templum 481; cumque ipse judicari. Israel 40 annis, sequitur illum principatum hunc inisse anno mundi 2810, ab exitu ex Ægypto 357, ante templum 423, cum ageret annum ætatis 58. Hæc juxta chronologiam quam præfixi Pentateucho.

Nota: Magis puniti sunt Hebræi post adductam in castra arcam, quam ante adductam; nam ante, cæsa sunt duntaxat quatuor millia, post adductam vero triginta millia; quia scilicet propter arcam et templi a sacerdotibus et populo violati scelus, a Deo irato et jam in arca presente acris puniebantur: præsertim quia scelus hoc aliæque plura seria penitentia non corrigebant. Allegorice, significabatur plures Judæos a Deo damnandos fore post Christum, quam ante Christum, quia scilicet ipsi Christum spreverunt, eumque occiderunt, et eorum posteri parentum Christicidium defendentes in Christum credere nolunt. Ita Beda. Sic accrus a Deo puniuntur qui coram eo in templo peccant, quam qui foris; sacra enim sacrilegus non laentur, sed vindicant et castigant.

18. CUMQUE ILLE NOMINAVIT ARCAM DEI, CECIDIT DE SELLA RETRORSUM JUXTA OSTIUM (templi, ait Tertullianus, lib. *De Sejunctis*, cap. x, et S. Chrysostomus, lib. III *Contra Vituper. vite monastica*, vel urbis Silo); in portis enim sedebant iudices, qualis erat Heli, præsertim quia ipse avide expectabat ab adventantibus ad portam urbis, cognoscere eventum prælii), ET FRACTIS CERVICIBUS MORTUUS EST. — Hinc notant Abulens. — Cajetanus et

ali virum plium fuisse Heli, ut ole quem non filiorum, nec populi, ita tangeret cura, ut arca et sacrorum religio. Cecidit ergo retrorsum, eo quod plane consternerat, ac prae angore, pavore et stupore, spiritum deficientem iam se in alta sede continere non posset. Retrorsum autem, quia cathedra hæc erat vacua, et carens fuleris quibus nostras sedes dorsum sedentis suffulciunt. Ita Abulensis. Monet ergo nos Heli, ait Dionysius, quam nos de Terræ sanctæ, ac tot Ecclesiarum et animarum captione ab hostibus dolere debeamus.

Audi B. Petrum Damianum, lib. I, epist. 6 ad Nicolaum Pontificem Prælatum percellentem: « Si Heli propter duos duntaxat filios, quos non ea qua digni erant invectione corripuit, cum eis simul et cum tot hominum multitudine perit; qua arbitramur dignos esse sententia, qui in aula Ecclesiastica et in solis iudicantium præsidet, et super non ignotis pravorum hominum criminibus tacet? Qui dum dehonestare homines in publico metuntur, ad contumeliam superni Iudicis divina legis mandata confundunt; et dum perditis hominibus amittendi honoris officium servant, ipsum Ecclesiasticæ dignitatis auctorem crudeliter inhonorant. »

Nomen
Heli
dama
natum

Queres, an Heli sit damnatus? Affirmit S. Gregorius, hic et II *Past.* cap. VI: « Quia, inquit, falsitate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum iudicem semetipsum cum filis crudeli damnatione percussit; hinc namque divina voce ei dicitur: Honorasti filios tuos magis quam me. »

Et Eucherius: « Heli sacerdos, inquit, pro filiorum iniquitate damnatus est, quod eos peccantes minus severa animadversione plectebat. Equidem coheruit, equidem corripuit, sed lenitate et mansuetudine patris, non severitate et auctoritate Pontificis. Qua sententia discant sacerdotes quomodo filiorum etiam propter scelera puniantur quique; et quamvis sancti sint, culpa tamen subditorum eisdem, si non coerceant, imputetur. »

Sic et Beda. Idem videtur sentire S. Hieronymus, lib. I *Contra Iovin.*, S. Chrysostomus, hom. 59 in *Genes.*, et alibi sæpius, et S. Caesarius Arelatensis, hom. 45, B. Petrus Damianus, tom. III, epist. 46, cap. XVII. Quin et S. Augustinus, lib. *De Civitate Dei*, cap. IV, ait Heli reprobatum eodem modo quo Saul.

Veritas
eum
sali
tem.
nab.
rim.

Contrarium censent Theodoretus, Lyranus, Dionysius, Abulensis, Cajetanus, Serarius, Sanchez, Mendoza. Idque probatur primo, quia Heli fuit vir probus et pius, ideoque ad eum translatus fuit Pontificatus æque ac principatus; rursus audita arca expirans maximum dolorem, ex eoque maximum religionis zelum ostendit. Secundo, quia licet peccavit nimia lenitate et indulgentia erga filios, tamen ex parte eum excusat, quod prae senio non ita poterat eos severe corrigere, presertim cum illi jam essent viri, et patris senis iussa

dictaque contemnerent. Tertio, quia esto demus Tertium, eum lethaliter peccasse; tamen videtur penituisse, ac duram penitentiam a Deo injunctam humiliter accepit, cum dixit cap. III, vers. 18: « Dominus est; quod bonum est in oculis suis faciat. » Quid amplius penitens dicere posset? Quarto, quia Deus ideo tam dure eum punivit in hac vita, ut ei parceret in futura; ideo enim ultimus mortuus est, ut tam multas suorum mortes audiendo multoties moretetur. « Deus enim non punit bis in idipsum, » ut ait Sophonias. Porro quo sensu dicitur cap. III: « Iniquitas ejus non delenda in æternum, » ibidem explicuit. Denique Heli culpam omnem residuam in Purgatorio luisse et expiasset videtur, ait Dionysius et ex eo Mendoza. Porro multi Patrum jam citatorum, asserunt Heli damnatum, exponi possunt de damnatione ad mortem temporalem, aliasque pœnas illi, id est posteris ejus inflictas.

ET IPSE JUDICAVIT ISRAEL QUADRAGINTA ANNIS. — Ita Hebræus, Chaldeus, Josephus, Theodoretus, perperam ergo Septuaginta pro quadraginta habent viginti. Porro S. Chrysostomus, lib. III *De Providentia*, ante medium: « Samuel, inquit, cum intueretur magistrum in morte miserabilem devectum, ita confusus alque turbatus est, ut deceret gratum amabilemque discipulum. »

INCURVAVIT SE ET PEREPIIT, — quia angor et dolor accelerarunt ei partum, adeoque peperit factum septimestrem, ait Josephus, cum communiter gravidæ parere solebant nono vel decimo mense a conceptu. Porro partus septimestres esse vitales docet Galenus, lib. *Isagogico de definitionibus medicis*, et alii quos citat et sequitur Pineda, lib. I *De Rebus Salom.* cap. X. Imo Philo, vel potius Pseudophilo in *Antiquit. Biblicis*, ait Isaac natum septimo mense, ideoque diu vixisse; sed hoc videtur fictitium. Denique matrem hanc paulo post treipsa expirasse docent Josephus, S. Gregorius, Eucherius, Angelomus, Dionysius et alii passim.

21. ET VOCAVIT PUERUM ICHABOD, DICENS: TRANS-
LATA EST (hebraice *gala*, id est migravit, transmigravit ab Israele ad Philistæos) GLORIA DE ISRAEL. — Ichabod hebraice dicitur quasi כבוד נא e *chabod*, id est ubi gloria? scilicet evanuit. Josephus vertit ἀδίκη, id est in gloria, ignobilitas, vitium, q. d. Vocetur hic puer hebraice Ichabod, Græce ἀδικία, Latine *inglorius*; quia eo nascente occidit Israelis gloria, quasi dicat:

Fuitus Troes, fuit Ilium, et ingens
Gloria Teucrorum, etc.
Nunc tantum cinis, et statio malebda carinis.

Licet enim Ichabod successurus videatur patri suo Phinees et avo Heli in Pontificatu, tamen capta jam arca et translata in Philistinam, omnis ejus, æque ac totius Israelis gloria concidit et corruit.

Nota: Heli morienti in principatu successit Samuel, in Pontificatu non Phinees vel Ophni, ut

potest jam occisi, nec Ichabod utpote infans; sed Achitob nepos Heli ex filio, ut patebit cap. XIV, vers. 3. Ita Mendoza.

ET PRO SOCERO SUO ET PRO VIRO SUO. — Primo, pro, id est de, quasi dicat: Translata est gloria regni de Israele, et gloria Pontificatus de socero suo Heli, et marito Phinees.

Secundo, id referri potest ad vocavit, q. d. Vo-

cavit mater filium Ichabod, tum ex se, tum pro socero et viro suo, cujus erat nomen filio imponere. Aut ad dicens, quasi dicat: Pro, id est propter virum suum cesum, et socerum suum mortuum dixit: « Translata est gloria de Israele; » quia scilicet Israelis principes et pontifices, scilicet Heli et Phinees, occubuerunt cum arca capta. Ita Chaldeus et Vatablus.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Arca a Philistæis capta, et collocata in templo Dagon, prosternunt et mutilat Dagonem. Mox Deus, vers. 6, pueris morbis et muribus affligit Azotios; inde, vers. 9, Gethæos, et vers. 10, Accaronitas: quare decernunt ipsi arcam in Israele esse remittendam.

1. Philistin autem tulerunt arcam Dei, et asportaverunt eam a lapide adjutorii in Azotum. 2. Tuleruntque Philistin arcam Dei, et intulerunt eam in templum Dagon, et sternerunt eam juxta Dagon. 3. Cumque surrexissent diluculo Azotii altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini; et tulerunt Dagon, et restituerunt eum in locum suum. 4. Rursumque mane die altera consurgentes, invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram arca Domini; caput autem Dagon, et duæ palmæ manuum ejus abscessæ erant super limen. 5. Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, et omnes qui ingrediuntur templum ejus, super limen Dagon in Azoto, usque in hodiernum diem. 6. Aggravata est autem manus Domini super Azotios, et demolitus est eos; et percussit in secretiori parte natium Azotum, et fines ejus. Et bullierunt villæ et agri in medio regionis illius, et nati sunt mures, et facta est confusio mortis magnæ in civitate. 7. Videntes autem viri Azotii hujusmodi plagam, dixerunt: Non maneat arca Dei Israel apud nos; quoniam dura est manus ejus super nos, et super Dagon deum nostrum. 8. Et mittentes congregaverunt omnes satrapas Philistinorum ad se, et dixerunt: Quid faciemus de arca Dei Israel? Responderuntque Gethæi: Circumducatur arca Dei Israel. Et circumduxerunt arcam Dei Israel. 9. Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnæ nimis; et percutiebat viros uniuscujusque urbis, a parvo usque ad majorem, et computrescebant prominentes extales eorum. Inieruntque Gethæi consilium et fecerunt sibi sedes pelliceas. 10. Miserunt ergo arcam Dei in Accaron. Cumque venisset arca Dei in Accaron, exclamaverunt Accaronitas: Adduxerunt ad nos arcam Dei Israel, ut interficiat nos et populum nostrum. 11. Miserunt itaque et congregaverunt omnes satrapas Philistinorum, qui dixerunt: Dimitte arcam Dei Israel, et revertatur in locum suum, et non interficiat nos cum populo nostro. 12. Fiebat enim pavor mortis in singulis urbibus, et gravissima valde manus Dei, viri quoque qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium, et ascendebat ululatus uniuscujusque civitatis in cœlum.

2. STATUERUNT EAM JUXTA DAGON, — idolum, sive deum suum, tum ut eum hoc dono honorarent, ait S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* cap. IV; tum ut ei quasi victorie auctori nobilissima hæc spolia deferrent, ait Josephus, lib. VI, cap. I. Theodoretus

et Procopius, quasi dicat: Ecce Dagon noster vicit Deum Hebræorum, nosque eorum victores effecit. Subdatur ergo arca Dei pedibus Dagonis. Hæc de causa injuriam suam tantam ulciscens Deus Dagonem dejecit, ac Philistæos plurimos morte

maclavit. Audi Theodoretum et Procopium: « Dum Philistini arca apparente et Hebræis vociferantibus extimissent, utilitatem et auxilium acceperunt; cum vero, post victoriam, arcam eandem contempserint, ipsa experientia, quanta Dei virtus esset, didicerunt. »

Dagon
quid?

Resp.
Frisio.

Quæres, quis et qualis fuit Dagon? Respondeo, fuisse præcipuum Philistinorum deum. Lilius Gyraldus *De Diti Gentium*, syntag. 2, pag. 109, censet Dagon fuisse Jovem Aratrium, quem colebant Phœnices, ut frumenti et aratri inventorem, ideoque dictum Dagon a דגן *dagan*, id est frumentum: sic quoque Eusebius, lib. 1 *De Preparat.*, Arias, Pagninus et alii, qui censent Dagon fuisse deum frumentarium, sive frumenti presidem, qui scilicet messis copiam et frumenti abundantiam suis cultoribus daret.

Alii passim Dagon derivant a דגן *Daga*, id est piscis, quod idolum hoc piscis formam haberet: cum enim Philistæ essent accolæ maris, piscationi dabant operam, ideoque fabricarunt et cocterunt Dagon, quasi piscium et piscationis presidem. Unde S. Hieronymus in *Quest.*: « Dagon, inquit, idem est Hebræ. quod piscis tristitia. » Porro idolum hoc erat quidem specie piscis, sed homine mixti. Erat ergo compositum ex homine et pisce, ita ut caput (hæc Lyranus, Abulensis, Adrichomius et alii censent Dagon habuisse caput piscis) et manus essent hominis, cæteris deinde membris ab umbilico deorsum, in piscisque caudam desineret. Id præter, ex eo quod manus illi coram arca præcisæ fuerint, vers. 4. Ita Vatablus, Cajetanus et alii mox citandi. Dagon ergo fuit instar Nereidum, Tritonum et Sirenium, quæ faciem habent mulierum, et in piscem desinunt; de quibus Horatius in *Arte Poetica*:

Desinit in piscem mulier formosa superba.

Confirmatur, quia Cyri et Palestini pisces colerunt quasi deos et numina. « Syri, inquit Xenophon, lib. 1 *Expedit. Cyri*, pisces habent sacrosanctos. » Cicero, lib. III *De Natura Deorum*: « Syri, inquit, pisces venerantur. » Clemens Alexandrinus in *Exhortatione ad Gentes*: « Qui Phœniciam incolunt Syri, columbas et pisces impense colunt. » Diodorus Siculus, lib. III, cap. 11: « Unde et Syri, inquit, ad hæc usque tempora his piscibus abstinentibus eos pro diis colunt. »

Insuper, Josephus et alii asserunt Dagon esse Dercetem (quam alii Atergatem vocant), sive deam Syriam, quæ a Syris creditur in piscem mutata, ideoque specie piscis colitur, ita ut inferne habeat eandem piscis, superne faciem hominis, puta formam.

Quocirca Diodorus Siculus loco jam citato, Antonius Nebrissensis, in *Quinquag.* cap. vi, Sanchez, Lyranus, Abulensis, Scaliger, Serarius et alii censent Ingon sive Dercetem esse Venerem. Pisces enim instar Veneris luxuriant et mire proflicunt. Unde Venus dicitur nata e mari, indeque nuncu-

patur Aphrodite, ac a Poetis fingitur in piscem transformari.

Audi Ovidium, lib. IV *Metamorph.*:

Dercete quam versa supinis velantibus arces,
Sagax Palestini credant coluisse figura.

Et Manilium, lib. IV:

In piscem sese Cytheræ novavit;
Cum Babilonicæ submersa profugit in undas.

Favet quod Herodotus, lib. 1, tradat Venerem ab Asealonitis mire coli in templo suo antiquissimo, indeque Cyprios eidem simile templum dicasse.

Porro Gentes suos deos nominabant et colebant tam specie feminea, uti erat Venus et Dercete, quam virili, imo unum eundemque nunc pingebant ut virum, nunc ut feminam, teste Macrobio, lib. III *Satur.* viii; Horatio, lib. 1 *Apol.* xii, et Ammone, lib. *De Interp.* Vide Serarium in cap. xvi *Judic. Quest.* xxv. Audi et Rhodiginum, lib. xxx, cap. v: « Semiramidem, inquit, deæ eujusdam Dercetis fuisse filiam fabulosa prodit historia. Eius templum fuerat ad Asealonem Syriæ civitatem apud stagnum piscibus plenam. Eandem Plinius vocat prodigiosam Atergatem, quod esset facie hominis, et corporis reliqua in piscem desinerent. Ferunt Venerem factam deæ illi obviam, quandoque adolescentis speciosi amorem inieisset, cui permixta Derceto filiam conceperit, etc. At dolore percita Derceto ex facti turpitudine in lacum se præcipitem edit, deformataque in piscem est. »

Tropologica, *Philistim* hebraice idem est quod conspersit aut conspergens, aut ruinam ponentes, aut ruinam potantes, ait Pagninus: hi sunt homines animales, terreni et carnales, qui colunt Dagon, id est, Venerem et ventrem, de quibus ait Apostolus, *Philipp.* iii: « Quorum Deus ventris est: » hi sordibus gulae et luxurie se diosque conspergunt, ac ruinam potant, quia mortem presentem ac æternam sibi accersunt, juxta illud Pauli: « Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem. » *Galat.* vi, 18. Unde S. Bonaventura in *Psal.* xxviii, 1, *Dagonem* vocans *idolum Veneris*: « Philistæ, ait, posuerunt arcam Domini juxta idolum Veneris Dagonem; sic mali sacerdotes, quando ponunt filium Virginis juxta filium Veneris in altari. » Tam atrociter ergo puniet eos Deus, cum quæ atrociter punierit Philistæos!

3. ECCE DAGON JACEBAT PRONUS IN TERRA ANTE ARCAM DOMINI, — quasi ab illa prostratus, illi subjectus, illamque adorans. Nota: Deus hic injuriam arce, id est sibi super arcam residentem illatam gravi poena ulciscitur, eaque triplici. *Primo*, in Dagonem, qui arcam quasi devotam sibi subditam habebat, prosternendo ante arcam ut illam adorare videretur. *Secundo*, in Philistæos, eos partim morte, partim morbo ani pendendo multando. *Tertio*, in ipsam regionem, mures immittendo,

qui omnia sata et germina depescerent. Unde prudenter Theodoretus, serm. 10 *De Providentia*: « Deus, inquit, tradidit arce majestatem tuetur allophylos docens quod non Deum vicissent, sed hominum iniquitatem. » Tropologica, S. Chrysostomus citatus a Glossa, *Exodi* xxiii, 23: « Non possunt, inquit, virtutes cum vitiis morari, sed cum a virtutibus vitia fuerint superata, locum quem concupiscentiæ spiritus possidebat, charitas obtinebit, quem furor ceperat, patientia vindicabit; quem tristitia mortem operans occupaverat, salutaris et plena gaudio lætitia possidebit; quem acedia vastavit, excollet fertilitudo; quam superbia conculcabat, humilitas honestabit; singulis vitiis expulsis eorum loca virtutes contrarie possidebunt, » quasi dicat: Non possunt simul habitare arce et Dagon, id est virtus et vitium, Deus et diabolus. Rursum, arca est Eucharistia, quæ ab energumenis expellit dæmones. Audi Cassiodorum, *Colat.* vii, cap. xxx: « Communionem, inquit, eis sacrosanctam a senioribus nostris, nunquam meminimus interdicitam: quin imo, si possibile esset, etiam quotidie eis impartiri eam debere censent. » El paulo post: « Quæ ab homine præcepta, eum, qui in membris ejus incidit spiritum, seu in ipsis latitare cognoscitur, velut quoddam exurens fugat incendium. »

4. CAPUT ARCEM DAGON ET DUE PALME MANUUM (hoc est ambae manus extensæ; hæc enim vocantur volæ sive palme: hoc signo Dagon fatebatur se victum ab arca: nam si manus in pugnam contraxisset, visus fuisset arca minari, illamque velle percitere) EJUS ARCSISSE ERANT SUPER LIMEN.

Priori plaga vers. 3, Dagon sua sede et solio erat dejectus in terram duntaxat: at cum illum in suum solium restituere Philistæi, pejus multatus est, capite scilicet et pedibus, ut quasi truncatus jaceret in pavimento. Lucifer pro *Exodo*, id est, unaqueque, legens *Exodo*, id est centum in Septuaginta vertit: *Et ambo vestigia manus ejus ablata erant per partes centum.*

Porro videtur alii etiam Philistæorum dii in cæteris eorum urbibus eadem vel simili qua Dagon, poena mulctati, uti insinuat cap. vi, vers. 5, per quod mystice significabatur idololatricæ interitus per arcam dominicæ, id est Christi et Apostolorum ejus adventum, ait S. Gregorius, in *Angelomo* et *Beda*. Rursum, Hugo Victorinus, lib. V *Allegor.* cap. vii: « Caput, ait, Dagon, significat superbiam diaboli: duæ palme operationem idololatricæ, limen finem impiæ vituræ. »

3. PROPTER HANC CAUSAM NON CALCANT SACERDOTES DAGON, etc., SUPER LIMEN. — Tropologica S. Gregorius, et Sacerdotes Dagon, ait, usque in hodiernum diem remanent, quia qui per immunda desideria antiquo hosti sacrificat, adhuc est. Qui profecto super templi limen calcare refugiunt, quia neque immundis suggestionibus, nec malis operibus resistunt. Dagon itaque sacerdotes sunt, quia etsi manufactis se idolis non humiliant, con-

cupiscentiarum tamen simulacris per nefaria opera se incurvant. »

Porro Gentiles limina templorum deorum suorum osculatos esse ex historicis clarum est. Audi Tertullianum, libro *De Corona militis*, cap. xiii: « Christianus, inquit, nec janam suam laureis infamabit, si nori quantos deos etiam ostiis diabolus afflaxerit. Janam a janua, Limentinum a limine, Foreulum et Cardam a foribus et cardinibus. »

Sic Christiani limina templorum olim osculabantur, et limina S. Petri etiamnum Romæ osculantur.

6. ET DEMOLITUS EST EOS, — id est, excidit, occidit, perdidit eos, ut patet vers. 9 et sequentibus. *Prima* Dei plaga fuit in deum Dagonem; hæc vero *secunda* fuit in ipsos Philistæos; multos enim ex eis Deus subita morte percussit, alios morbo frido afflixit. Nam:

PERCUSSET IN SECRETIORE PARTE NATUM AZOTICUM. — Fuit hic morbus alvi et ani, ita ut intestina eorum computrescerent et per annum foras prominerent. Unde Vatablus veritè vocatque *mariscas*. Est enim marisca ficus insipida, quæ hinc lo aperitur, et sua interna rubendo ostentat, de quibus Martialis, lib. XI:

Purpureæque Chelidonia, rilesque mariscæ.

Inde morbus hic ani marisca dicitur, quia fici jan dicti habet similitudinem. Unde Juvenalis, *Satyra* 2:

Cædatur timide medico vidente mariscæ.

Congrua est hæc poena ventri deditorum, quales erant Philistæi, quorum, ut ait S. Bernardus: « Non alia est cura, quam cibum ingerere, digere et egerere. » Nam ut ait Christus, *Matth.* xv, 17: « Omne quod in os intrat in ventrem vadit et in secessum emittitur. »

Josephus, et ex eo Theodoretus, Procopius, Dionysius, Lyranus hunc morbum vocant dysenteriam, non vulgarem, sed propriam et peculiarrem. Theodoretus ex Aquila veritè phagedænam, id est canorem, sive ulcus exedens. Alii apud Franciscum Lucam in notis hic vocant cirinum vel fragitum; alii, luem venerem; Babbini, Abulensis et Genebrardus vocant hemorrhoides. Sidonius, pag. 392: « Obscurem turgentem podicæ morbum. » Videtur hic morbus fuisse peculiaris et novus, adeoque non unus, sed multiplex, singulariter a Deo vindicæ Philistæis immisissus; nam præter dolores acres, pariebat intestinorum patrefactionem et egestionem.

Porro hic morbus grassabatur per omnes Philistæorum urbes, pagos et villas, ut patet vers. 6, nec ulli dignitati, etati vel sexui pariebat, nec ullo remedio curari poterat, vers. 9, duravitque per septem menses, cap. vi, vers. 1. Meminit Herodotus, lib. 1, sub medium, hujus morbi; sed more Gentilium res Judaicas depravantium vera

falsis admiscet, ut notat Josephus lib. X *Antiquit.* cap. 1. At enim Aesolone esse templum Veneris, quod nonnulli expulsi, ideoque mariscis percussis sint.

ET NATI SUNT MURES. — Terria fuit hæc plaga murium, qui, ut ait Josephus, hortos, agros, vineas, omnesque segetes, fruges et fructus depascabantur, ut fecit plaga ranarum in *Egypto*, *Exodi* viii. Hebraei nonnulli addunt mures hos e mariscis sanguinem suxisse. Addit S. Gregorius, lib. III, cap. III, momordisse ventrem Philistinorum, cum eum in secessu exonerare vellent. Causam dat Auctor *Mirabilium Sacra Scriptura* apud S. Augustinum, lib. II, cap. VII: « Qui misera, inquit, animalia divino cultu venerabantur, per miserima animalia in adventu dominicæ legis castigantur; qui tabernaculi Domini interiora, id est, arcam extra limites suos protraxerunt, hi interiorum suorum foras prominentium fœda affliguntur elade. »

Alia causa erit, si cum Eusebio, Gyrardo et aliis jam citatis dicamus Bagonem fuisse deum frumentum; quia ergo hunc colebant Philistæi, hinc iuste a Deo muribus puniuntur, ut illi frumentum Bagonis rodant et vorent.

Porro hinc nata est hæresis eorum qui a muribus dicti sunt Musorite, de quibus Philastrius, lib. *De Hæres.*: « Musorite, ait, sunt quidam nomine qui sorices colunt, qui sub Belo (*ego sub Hele seu Hei lego*) sacerdote, cum fuisset capta arca Testamenti ab Allophyllis, atque ex ira Dei produxisset terra sorices, ut eorum fruges deperecerent, admoniti a suis fecerunt aureos mures. »

Porro mures hi Philistinorum supernaturales facere, ait Abulensis: quia nulla causa naturalis ees tam subito et in tanto numero producere potuisset.

Denique audi S. Antonium Magirum in *Palæstina*, fol. 241: « Nonnullis, ait, in locis Palæstinae agri sunt pene deserti ob murium et soricum abundantiam, quos nisi quedam aves devorarent, nullum sementem possent facere incolæ. »

Similes elades a muribus sepe illate sunt. Unde « M. Varro, ait Plinius, lib. VIII, cap. XXX, auctor est a cuniculis suffossam in Hispania oppidum, a talpis in Thessalia, ab ranis civitatem in Gallia pulsam, ab locustis in Africa, ex Gyaro Cycladum insula incolas a muribus fugatos. » Idem, lib. X, cap. LXVIII, ait mures e Troade fugasse acolas, e rationem addit quod mus sit foetidissimus, adeo ut ex uno geniti sint 120. Sic Popielus Polonie princeps a muribus est comestus, quod patris suos veneno necasset, ex eorum enim cadaveribus mures enati ipsum cum uxore et filiis corroseverunt, ut narrat, lib. II *Rerum Polonicarum*, Martians Cromerus.

Idem Harroli Archiepiscopo Moguntie contigisse scribit Trithemius *Chron. Hirsau.*, ad annum 967, et Genebrardus, anno Domini 970; sed id refutat Serarius in sua *Moguntia*.

8. OMNES SATRAPAS. — Id est præfectos et principes: « Satrapæ, ait S. Thomas, lib. III *De Regim. Princ.* cap. XXII, dicti quasi sat parati ad munus suum et ad bellum, » vel quasi « sat rapientes, » hoc est diripientes subditos: ingeniosa est hæc allusio et lusus ingenii. Nam constat « satrapas » esse nomen Persicum, *Esther* III, 42; *Daniel*, II, 2. Hinc et Herodotus, lib. III, ait Darium regem Persarum Babylonem divisisse in viginti et octo satrapias sive præfecturas.

CIRCUMDUCTUR ARCA. — Hoc consilium dant Gethæi, quia putabant eladem hanc Azotidis accidisse, non arca, sed ex natura loci, v. g. ex infecto et pestilenti aere, vel influxu maligno astrorum, ait Theodoretus et Procopius; unde et capite sequenti post circumducta arca plagas, adhuc explorant per sortes vaccarum, an ab arca, an casu hæc plagæ eis obvenierint. Hinc et Septuaginta vertunt, *transseat arca ad nos, q. d.* Non timeamus arcam arcæque vindictam; veniat illa ergo ad nos.

Pravum et infidele fuit hoc Gethæorum consilium, quod proinde Deus in ipsos eorumque stragem retorsit. Sic Judæi occiderunt Christum, ut ejus nomen dederent, et correptiones effugerent; sed per hoc magis ejus nomen incurrerunt. Preclare Nazianzenus, orat. I *De fuga sua*, sub finem: « Solus, inquit, ex omnibus rebus Deus est qui nec fuga vitari nec superari potest, cum aliquem arripere ac sub manum et potestatem redigere voluerit, celeres antevertit, prudentes decipit, fortes subvertit, sublimes contrahit, audaces mitigat, potentiam premit. »

9. MANUS DOMINI. — Id est plaga et percussio Dei; hæc enim apud homines fit manu: manus autem Dei est immensa ejus potentia.

ET COMPUTRISCEBANT PROMINENTES EXTERALES EORUM. — Id est exta sive intestina et viscera putida per anum defluabant, ut configit Ario heresiarchæ. Hebraice est *intuerunt ipsis עיניהם ophelina*, id est morbi oculi ani, q. d. Percussi sunt oculis et pudendis hisce morbis. Septuaginta, *perussi sunt in natibus*; Chaldaeus, *in constructionibus*. Huc respexit David canens, *Psal. LXXVII*, 66: « Percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis. »

Porro Abulensis, *Quest.* XV, ait nonnullos censere, non tantum Philisteos percussos fuisse in secretiori parte natium, sed etiam Hebræos recentiores, qui frequentem sanguinis fluxum seu hæmorrhoidem patiuntur in penam illius sacrilegii, quo postularunt Christi Domini mortem, exclamantes: « Sanguis ejus super nos et super filios nostros. » Et in hunc sensum interpretantur illud: « Percussit inimicos suos in posteriora, » *Psal.* LXXVII, 66, sed prudenter opinatur illos errare, cum nullo Scripturæ testimonio fulciantur.

ET FECERUNT SIBI SEDES PELLICEAS. — Biblia Regia, item Hebræa et Chaldaea, S. Gregorius, Lyranus et alii hæc omittunt (vide Franciscum Lucam

in notis hic); habent tamen Septuaginta correcti, nisi quod *sedes pelliceas* omittant, sed morbus hic sedes molles exigebat: tales autem sunt pelliceæ. Unde et Theodoretus id videtur legisse. Ait enim eos fecisse sibi *sedes xpoaz*, id est *aureas*; sed pro *xpoaz*; legendum videtur *pepaz*; id est *pellivæ*. Ad quid enim aureæ hoc loco, nisi ad mali et doloris augmentum? Porro Lyranus, Dionysius, Cajetanus, Mendoza et alii sedes hic proprie dicit accipiunt; has enim aiunt fecisse pelliceas, ut mollius sederent. Verum noster Sanchez *per sedes* apposite per metonymiam intelligit *vestes*, ad partes illas male affectas fovendum, ac ad viscera defluantia et emplastris eis imposita continentum. Palæstini enim femoralibus non utebantur. *Sedes* ergo, inquit, sumitur pro *veste*, id est natium integumentum, sicut pes sumitur pro calceo, et corpus pro corporis veste. Sic et Abulensis, qui et tertiam causam addit, ne mures partes illas invaderent et roderent. Hinc facit quod Septuaginta et Aquila hoc versu vertant: *Percussit eos in sedibus eorum*; in *sedibus*, id est, in natibus quibus sederunt: partim enim modo hic natium tegumenta vocari possunt sedes.

Porro congrua hæc fuit culpæ Philisteorum poena; quia enim ipsi suum Bagonem ab arca, solio sederque sua dejectum in illud restituerant, iuste ipsi morbo puniti sunt in eo membro quo sedere solebant, ut sedere non possent nisi in sedibus pelliceis, eo quod Deo vero solum divinitatis abnegassent, illudque suo Dagoni assignassent. Ita Theodoretus: « Sedes, inquit, morbum passi sunt, qui arcam divinam imple locaverunt, nempè apud Deum falso appellatum. » Sic et Procopius. Huic simile est quod de Ariano quodam scribit S. Athanasius in epist. *ad Solitarium*: « Ut olim, inquit, Azoti incolæ ausi arcam attingere, quam illis vel oculis conspiciere nefas fuit, sedium tormentis excruciatum peribant; sic Arianus quidam juvenis ausus sellam ligneam templi Alexandrini (ex qua docebat S. Athanasius) convellere, fragmento ligni inde in ventrem resiliente intestina sua perforavit, et eadem vi qua solum disrumpere conabatur, rupta alvo intestina effudit, celerisque quam ipse thronum auferret, thronus ei vitam sustulit. »

Altera ratio datur Auctor *De Mirabil. Sacra Scriptura*, lib. II, cap. vii: « Quatenus, inquit, qui tabernaculi Domini interiora, id est, arcam extra limbo nos protraxerunt, intrancorum suorum (alias interiorum suorum) foras prominentium fœda affliguntur elade. »

Simili viscerum dolore punitus fuit Antiochus ob dirupta vasa templi, lib. II *Machab.* cap. ix.

Tertiam causam dat Rupertus et Glossa, scilicet Philisteos fuisse pæderastas et masculorum concubitores, ideoque eo membro quo peccarant fuisse punitos. Insinuat id ipsum Isaias, cap. II, vers. 6, dicens: « Augures habuerunt ut Philistinum, et pueris alienis adhererent. »

Symbolice Mendoza: « In posterioribus, ait, Philistinii percutiuntur, ut in tota sua posteritate ferendi significentur, hoc est, non solum in hac vita, sed etiam in futura; nec solum in suis corporibus, sed etiam in suis filiis ac nepotibus. » Sic Petrus Blesensis, epist. 48, comparans improbos Prælatos ac Principes cum Philistinis: « Nonne, inquit, isti in posteriora percussi sunt quorum finis interitus, quorum posteritas damnata est, ut successor eorum in Ecclesia Dei de cætero non resurgat, » juxta illud *Psal. LXXVII*, 66: « Opprobrium sempiternum dedit illis. » Hinc facit illud *Amos* I, 8: « Et Converteram manum meam super Accaron, et peribunt reliqui Philistinorum. »

Simili modo Deus punivit irrisores S. Thomæ Cantuariensis, qui amputata equi quo vehebatur cauda eum subsannabant; sed Deus caudam eis reppedit. Nam omnes in posterioribus caudati effecti sunt, nec tantum ipsi, sed omnes eorum posteris usque in hodiernum diem, uti refert Polydorus Virgilius, lib. XII *Historia Anglicana*.

12. GRATISSIMA VALDE MANUS DEI. — « Manus, » id est, ultio, percussio, interfectio. Philo, in *Antiquit. Biblicis*, numerum caesorum ita distinctim assignat: « Mulierum in utero habentium septuaginta quinque millia. Paucorum adhuc infantium et lactentium sexaginta quinque millia. Mulierum nutriendium et lactantium quinquaginta quinque millia. Virorum jam adultorum viginti quinque millia. Omnium simul collectorum ducenta et viginti millia. » Verum hic non est Philo, sed Pseudophilo.